

scat speciem . anne et *Othonna Petasites* sit ejusdem speciei , certe sic mihi videtur collatis meis cum Tuis . si hanc novisti , me doceas in tempore.

Quantum doleo quod tam sero acceperim tuam floram vix dicere possum . sed in appendice allegabo et adjiciam Tua.

Loranthum tuum maxime miror tam diversum fructificatione esse a vulgari Visco.

Valerianam tuam novam habui , sed non ausus fui e specimine distinguere a Valeriana celtica , metuens varietatem , cum nullus viderat praeter Burserum inter veteres.

Nullo tempore tot prodire in Botanicis libri , numquam tot nova.

Animalium numerus crescit quotidie in immensum , ut vix ulterius sustineo assequi.

Vale et vive felix.

Upsaliae 1762 , d. 24. Septembris.

22.

Viro amplissimo DD. Nic. Jacquinio s. pl. d. Car.
Linnaeus Equ.

Tuas 23. Octobris ante triduum rite accepi , una cum novis Tuis Tabulis . quoties eas excipio toties in intimo cordis doleo , quod non sciam earum historiam , certe nullus in toto orbe magis exoptat Tuam Historiam Plantarum Americanarum quam ego.

Quamprimum occasio sese offerat , mittam specierum plantarum tomum primum ad D. Rotboll Hafniensem . bene fecisti quod Gouaniae nomen imposuisti Rhamno isto , illud nomen pro reliquis multis libenter assumam.

Androsacen Tuam facile crederem esse plantam novam , ortam ab alia.